

officii solum hactenus demandati emortualis adest dies; aliud-
 que offertur, quod licet non sit nobilissimum, non parum ta-
 men momenti habet in valetudine promovenda con-
 servandaque. Cor licet in sanguificando omnem mo-
 veat lapidem, non tamen id ad sanitatem sufficit, nisi & hepar
 suam ritè exornet spartam. Ab eo enim malè affecto quot hy-
 pochondriorum, totiusque corporis calamitates! in morbo-
 rum causis non pauca jam sunt mutanda. Quis credet omnes
 cachexias, luis veneræ seminaria, aliaq; læsæ sanguificatio-
 nis mala in solò jecoris diversoriò hospitari? Curationes quidè
 maximam partem manebunt eadem; in multis tamen com-
 pendiosiore vià impòsterum ad propositum scopum festinare li-
 cebit. *Pecqueto* interim immortales debentur gratiæ, quod no-
 vis inventis lacteis ansam ad genuinum hepatis officium in-
 dagandum dederit. Deus nos Spiritu suo sancto illuminet, ut
 ignorantia nebulis discussis, indies ad meliorè nostri cogniti-
 onem perveniamus, ejusque laudes pro his & aliis innumeris
 beneficiis in æternum de prædicemus.

CAPUT XVI.

De

VSV BILIS.

Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonū, ait Comicorū
 ocellus, *Plautus*. Hanc fortunam experta est bilis: eam enim
 inutilem Microcosmi incolam, pernitosumque hospitem nul-
 lò non tempore judicârunt. Ea omnium inflammationum,
 omnium febrium, imò, *Democriti* iudicio, ipsius insanix mater
 fuit credita. Eam ceu infensissimum sanitatis hostem hactenus
 prosequutæ sunt scholæ, continuisq; consiliis in exilium pro-
 scribere tentârunt. Duram hanc sortem tulit per tot mille an-
 nos insons; sed jam dulcis malorum memoriâ recreatur, in inte-
 grum hujus seculi industriâ restituta. Nimirum ut ait *Seneca*
 in *Herc. fur.*

*Quod fuit durum pati
 meminisse dulce est.*

Jam